



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Horologivm Sacerdotale Sacerdotibus tam Ecclesiasticis,
quàm Religiosis, præsertim Neomystis Ordinem diei, &
praxes indicans Opera quotidiana exactè, sanctéque
obeundi**

Dirckinck, Johann

Coloniæ, 1690

I. Die Dominica. De Infinitate Dei.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-50863](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-50863)

CHRISTUS EUCHARISTICUS
DEUS ABSCONDITUS.

ANTE SACRVM.

Considerationes & affectus
pro VII. Hebdomadis diebus.

I. DIE DOMINICA.

De Infinitate Dei.

Magnus Dominus & laudabilis nimis & magnitudinis ejus non est finis, psal. 144. Magnus Dominus, coram quo tanquam momentum statere est orbis terrarum; cujus comparatione, mare, gutta, astra puncta, cœli atomi, creata omnia tanquam nihil. O Deus infinite! verè magnitudinis tuæ non est finis; quidquid enim in te reperimus, infinitum esse non ambigimus: substantiæ enim infinitæ, attributa congruunt, quæ sunt infinita; quemadmodum igni infinito calor infinitus competeret. Ac proinde veluti substantia & natura tua est infinita, sic potentia ab ea indistincta infinita est: sic sapientia est infinita, bonitas est infinita, Justitia, misericordia, pulchritudo, amabilitas

P

litas

litas, sanctitas est undequaque infinita. O quanto repleor stupore, dum isthæc meditor! Adoro te cum tremore, & exultatione cum timore, mi Deus, & cum amore gaudeo, te adeo magnum esse & incomprehensibilem cogitatu, ut vel ipsi Cherubini & Seraphini nequeant te comprehendere. O si vires meas omnes saltem impenderem in te diligendo, siquidem ad comprehendendum non sufficio!

II. Sed magis attonitus sto, dum magnum hunc Dominum, in exigua latentem hostia per fidem intueor, & in parvo orbiculo, in mica minima, totam infinitatem abscondi cerno. Quis mortalium aut Angelorum hæc capiat? *Ecce Dominus magnus, vincens scientiam nostram Job. 42. & verè lucem habitans inaccessibilem. 1. Tim. 6.* Credo, Domine, quia tu dixisti. Sed simul obstupesco, & hunc amoris & humilitatis excessum infinitum non capio.

III. Quantâ igitur, ô magne Deus! submissione & reverentiâ, mihi vilitatis abysso ad abyssum Majestatis accedendum erit? certè infinitæ Majestati honor & reverentiâ deberetur infinita: ac cum hæc

facultat
quâ poss
to desid
omnia d
quidquid
sit benè
par est,
excellen
venerati
dignam.
& procu
nes te c
quàm per
tate? Rev
possum:
amo te qu
trum, q
ut par est
id ex toto
l. Ora
O Bsecr
tuo d
ne; ut si
est, ita ic
Sapier
tat Bonis
facult

facultatem meam excedat, an non summâ
 quâ possum, ad te adeundum erit? quan-
 to desiderio me ferri oportet in te super
 omnia desiderabilem, in quo infinitè est,
 quidquid possum concupiscere, ut mihi
 sit benè? quantâ charitate te complecti
 par est, propter infinitam Bonitatem &
 excellentiam tuam, omni laude, gloriâ,
 veneratione, cultu & obsequio infinitè
 dignam? quanto zelo me æstquare decet,
 & procurare pro viribus, ut mortales om-
 nes te cognoscant, ament & laudent
 quàm perfectissimè in tempore & æterni-
 tate? Revereor te, ô magne Deus! quantû
 possum: desidero te, quantum possum:
 amo te quantum possum: zelo honorem
 tuum, quantum possum: si verò id non
 par est facio, da ut faciam: ego enim
 ex toto corde desidero.

I. Oratio ad B. M. V. pro assistentia.

Oblecro te, ô gloriosa Domina, à Filio
 tuo dilecto, hunc mihi favorem ob-
 tine; ut sicut fecit tibi magna qui potens
 est, ita idem suâ Potentiâ me confortet,
 suâ Sipientiâ me illuminet, suâ me perfi-
 cat Bonitate; ut eundem Filium tuum de-

bitâ charitate in Sacramento suscipiam,
omniq; possibili devotione laudem. Qui
vivit & regnat in secula. Amen.

II. *Oratio ad SS. Angelos.*

O Sancte mi Angele Tutelaris, ceteriq;
Angeli sancti, qui statis in domo Do-
mini & in atriis Domûs Dei nostri, in
conspectu Throni & Agni, summo cum
stupore, amore & reverentiâ: Assistite mi-
hi hodie meque excitate ut simili stupore
& amore, reverentiâ & devotione ad a-
ram consistam, & divinissima hæc myste-
ria peragam.

III. *Oratio ad Sanctum hodiernum.*

O Sancte N. aspectu beatifico jam fru-
ens, Dei que Majestatem, Potentiam,
Sapientiam & Bonitatem facie ad faciem
contemplans, tuâ quæso intercessione, ita
hodie cœlestia hæc Sacramenta suscipiam
atque tractem; quemadmodum tu, si in
terras redires, eadem susciperes vel tracta-
res. Per Christum D. N. Amen.

II. *Consideratio & Affectus de
Immensitate Dei.*

FERIA II.

I. **O** Deus immense! tu es ubique &
absque